

num inquirere, ac de controversiis rerum
 sacrarum, locorumquè religiosorum ex æ-
 quo & bono arbitrium ferre iussit. Sextus
 nondum annus à ducis Heinrichi obitu inter-
 cesserat, cùm magnum Academiae Lipsicæ
 vulnus inflictum fuit. Septemviro siqui-
 dem Johanne Friderico infestum exerci-
 tum ex Duringis ad Lipsiensiæ mœnia ra-
 piente tam docentium quàm discipulorum
 cœtus dissipati & Collegii Paulini ædes po-
 steriores, paulò ante magna impensa va-
 porariis & cubiculis ad plurimum habi-
 tatorum usum instructæ ex castris hostium
 summâ tormentorum muralium vi partim
 disturbatæ partim igne injecto concrema-
 tæ fuerunt. Ad quarum refectionem bel-
 lo deinde confecto Dux Mauritius qua-
 tuordecim millia denariorum contulit.
 Quin & valetudinario Georgiano, quod an-
 te portam Rhanensem excisum fuerat, qua-
 stuosissimi prædii possessionem assignavit,
 cujus ad secundum à Lipsia lapidem sitæ
 nomen Germanicam habet significationem
 quercus, quod eo in loco ingens olim arbor
 fuisset. Præterquam cùm anno Servatoris
 nati 1454. auriga quidam viâ pluvius corru-
 ptâ, plaustrum onustum ageret, & rotis